



Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacramentis in Genere, & duobus primis in specie

Bosco, Jean a

Lovanii, 1665

Concl. X. Intentio faciendi quod facit Ecclesia, necessariò debet esse circa materiam determinatam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73340)

verum est dicere : *Nunc est Sacramentum Matrimonij, & antea non fuit.* Quare sufficit ne contrahentes peccent, quod sint in statu gratiæ, quando adimpletur conditio. Alias difficultates differo in proprium locum.

148.

Non valet argumentum à sententia judiciali extra Sacramentum ad sententiam Sacramentalem.

Ex his factis colligitur, non rectè deduci argumentum à sententia judiciali extra Sacramentum ad sententiam Sacramentalem, quam de novo Christus instituit, & essentialiter voluit consistere in verbali absolutione. Sicut ergo non sequitur : sententia extra Sacramentum potest ferri scripto vel in absentem, igitur & in Sacramento; ita etiam ex valore sententiæ conditionalis de futuro extra Sacramentum, malè inferitur valor hujusmodi sententiæ in Sacramento; nisi idem velimus dicere de Sacramento Ordinis, in quo confertur potestas; quia & aliæ collationes potestatum sic fieri possunt, quod est inauditum. Itaque Christus non instituit in nova Lege sententiam utcumque, sed taliter prolatam, per talem ritum & formulam verborum, non æquivalentium, sed formalium & realium. Plura in materia de Pœnitentia.

Ad alia festino, & quæro ultimò, an intentio debeat ferri super materiam determinatam? Pro responsione instituitur

CONCLUSIO X.

Intentio faciendi quod facit Ecclesia, necessariò debet esse circa materiam determinatam.

149.

Est communis & certa. Colligo ex verbis formarum : *Egote baptizo, absolvo &c. Hoc est corpus &c. Confirmo te: Indulgeat tibi Deus: Accipe potestatem: Accipio te in meum, vel meam.* Quæ omnia significant determinatam materiam ex qua aut circa quam Sacramenti. Et quid mirum, quandoquidem intentio ministri operativa sit & efficax, actiones autem sint circa singularia?

Determinationi materie qualiter non obstat error privatus.

Porro huic determinationi non obstat error privatus, quo quis existimat se solum habere unam hostiam consecrandam, cum sint plures; aut quo putat se baptizare, confirmare, absolvere, inungere, ordinare Petrum, & est Paulus; si modò habuerit intentionem generalem consecrandi omnes hostias ante se positas, simili-

liter baptizandi, confirmandi &c. personam presentem, quæcumque illa sit, aut quomodocumque vocetur. Et hæc censetur ordinaria cujlibet intentio in his Sacramentis, quando non constat de contraria, ne Sacramentum absque ratione exponatur nullitati.

Dico: *In his Sacramentis*, quia in Matrimonio regulariter minister alligat suam intentionem ad hanc particularem personam, non autem ad quamlibet presentem. Do disparitatem: quia multum interest ministro Matrimonij, cum qua persona contrahat; parum autem vel nihil ministro aliorum Sacramentorum, quam personam confirmet, baptizet &c.

Cæterum, si contrahens Matrimonium dicat: *Accipio in meam coniugem personam hic presentem quæcumque tandem sit*, error personæ non invalidabit contractum; quippe speculativus solum est, & non practicus, id est, contractus non dirigitur illo errore: & è converso, si consecrans v. g. intendat hanc hostiam quam posuit, & nullam aliam, error circa materiam reddet consecrationem irritam, utpote quæ illo errore dirigitur; idem est de Baptismo, Confirmatione &c. si minister adstringat suam intentionem ad certam personam.

Petes, an ergo sit invalida Ordinatio eorum, qui accedunt cum legitimo aliquo impedimento, puta irregulares, aut carentes patrimonio & beneficio, vel legitimis litteris dimissorijs &c? solet namque in aliquibus locis Officialis Episcopi ante Ordinum collationem publicè protestari, Episcopum non habere intentionem eos ordinandi.

Respondeo affirmativè, si reverà Episcopus habeat talem intentionem. Putant tamen aliqui, protestationem illam solum fieri ad terrendum; Episcopum autem habere absolutum animum ordinandi eum qui accedit, quicumque ille sit; tum quia in Pontificali non invenitur talis protestatio, sed formula dumtaxat, quæ ordinandi moneantur ab Episcopo, vel ex parte ejus, nè accedant cum aliquo impedimento; tum etiam propter inconvenientiam, quæ nata sunt sequi ex tam generali, restricta & conditionata voluntate; facile siquidem contingere potest, ut quis habeat impedimentum & nesciat, vel non recordetur: item potest oriri dubium, an reverà habuerit impedimentum. Non debet autem res adeò gravis exponi tam facili periculo nullitatis & reordinationis. Quidquid de hoc sit; Lugo disp. 8. sect. 7. in fine consultit eo modo Ordinato

150. Quid dicendum de materia Matrimonij.

151. Utrum sit invalidum dicitur de materia Matrimonij.

Ordinato cum impedimento, ut adeat Episcopum, ejusque exploret intentionem; vel si id fieri nequeat, recipiat iterum sub conditione Ordinem, ne maneat in illo dubio cum periculo invaliditatis aliorum Sacramentorum, quae ex Ordinatione pendent.

vini, vestis & similibus rerum; parum enim refert ad intentum ementis si hæc, siue alia numero, aut etiam aliquando specie diversa detur, dummodò sit æquè bona.

Contra: Etiam alia uxor poterit esse æquè bona, imò fortè melior. Respondeo hanc æqualitatem aut meliorationem non posse ab hominibus prævideri, cum pendeat ex quàm plurimis circumstantiis, ut placeat conjugii vel displiceat. Quare meritò quisque non alieno, sed suo vult iudicio fidere in re tanti momenti.

Hucusque de conditionibus necessarijs in ministro ad validam administrationem Sacramenti. Ad licitam verò insuper requiritur, Primò sanctitas siue status gratiæ. Sed nunquid sub gravi obligatione?

Non obstat Conclusio- ni uxorem non inten- tam posse esse intentam meliorem.

CONCLUSIO XI.

Peccat mortaliter qui absque necessitate conficit Sacramentum in malo statu, pre- fertim si ex officio ad id est consecratus.

Quòd sit aliquod peccatum absque ul- genti necessitate conficere Sacramen- tum in peccato mortali, nemo dubitat. Testis est D. August. lib. 2. contra Episto- lam Parmeniani cap. 10. post medium, & habetur 1. quæsti. 1. cap. 78. Omnia (in- quit) Sacramenta cum absint indignè tra- ctantibus, profum tamen per eos digne sumen- tibus. Testis Nicol. I. ad consulta Bul- garorum cap. 71. & habetur 16. q. 8. cap. ultimo, ibi: Porro qualicumque Sacerdos sit, quæ sancta sunt comminare non potest. Idcirco ab eo, usquequo iudicio Episcoporum reproberetur, communi percipienda est, quoniam mali bona administrando se tantummodo ledunt; & circa sax accensa sibi quidem detrimentum præstat, alijs verò lumen in tenebris administrat; & unde alijs commodum exhibet, inde sibi dispen- dium præbet.

154. Peccat con- ficiens Sa- cramentum in malo statu, s. Augusti

Nicolai I.

Accedat testimonium Concilij Trident. sess. 13. cap. 7. Non decet (inquit) ad sa- cras ulla functiones quemquam accedere nisi sanctè. In quibus verbis pro fundamento hujus obligationis siue decentiæ statuit Concilium sanctitatem operis. Unde sub- dit: Cerè quò magis sanctitas & divinitas ecle- stia huius Sacramenti (Eucharistiæ) viro Chri- stiano compet. a est, eo diligentius cavere ille debet, nè absque magna reverentiâ & sanctitate ad id

Triam,

Z. 2

perci-

152. Cur contra- ctus Matrimo- nij non sit æquè va- lidus, ac contractus emptionis, et si alia res numero substitua- tur.

D. 9. ff. de Contrah. empta.

Petes rursus, cum contractus emptionis communiter valeant, et si alia res numero, ejusdem tamen speciei & æqualis bonitatis, substituitur; cur (inquam) contractus Matrimonij non sit validus, si persona quæ substituitur, sit æquè bona, pulchra &c. Pro responsione

Nota ex tract. de Justitia & Jure, quemlibet contractum irritari per errorem in substantia rei; v. g. qui vendit vitrum putanti esse gemmam, non facit validam venditionem. Ratio est manifesta: quia deest consensus in talem rem; nihil quippe volitum, nisi cognitum: porro consensus est essentia contractus.

Et ita decernitur ff. de Contrah. emptione L. 9. In venditionibus (inquit) & emptionibus consensum debere intercedere, palam est Si igitur ego me fundum emere putarem Cornelianum, tu mihi te vendere Sempronianum putasti; quia in corpore dissensimus, emptio nulla est. Et infra: Inde queritur, si in ipso corpore non erratur, sed in substantia error sit, ut puta si acetum pro vino veneat, as pro auro, vel plumbum pro argento, vel quid aliud argenti simile, an emptio & venditio sit? Respondet Ulpianus: Si vinum non acuit, sed ab initio acetum fuit ut embanma, id est, intinctus; aliud pro alio venisse videtur: in re- teris autem nullam esse venditionem puto quotiens in materia erratur. Porro quis audeat vel leviter suspicari, non errari in materia Matrimonij, si una persona pro alia obrudatur? Equidem variatio personæ in hominibus æquivalet variationi speciei in alijs rebus.

Molina.

Unde etiam (secundum Molinam de Justitia Tomo 2. disp. 340. n. 21.) talis variatio facit irritam emptionem servi & ancillæ, juxta legem civilem mox allegatam, ibi: Idem est, si ego me Stichum, tu Pamphilum absentem vendere putasti: nam cum in corpore dissentiantur, apparet nullam esse venditionem. Quanto potiori jure emptionem (ut sic loquar) conjugis, ex cujus variatione maxima resultat diversitas ad intentum Matrimonij, & vitam communem perpetuam?

153.

Rationabiliter ergo contrahens Matrimonium censetur suam voluntatem alligare ad hanc personam, etiam magis, quam emens aurum alligat suam voluntatem ad aurum. Contrarium evenit in emptione